



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCXVII. Imperator provocatus à filio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCCXVII.

Imperator provocatus à filio.

QUI PROVOCATUS AB HOSTE NON PUGNAVERIT, CAPITE PUNIATUR. Filius imperatoris ad hostes transfugit, provocavit patrem. Ille non descendit in certamen solus, sed acie commissa vicit hostes: in quo prælio & filius ejus cecidit. Accusatur, quod provocatus ab hoste non pugnaverit.

S E R M O.

An quisquis ab hoste provocatus non pugnaverit, puniri debeat: an hæc lex ad imperatorem pertineat: an hic ab hoste provocatus sit: an pugnaverit.

D E C L A M A T I O.

QUI AB HOSTE PROVOCATUS NON PUGNAVERIT, CAPITE PUNIATUR. In omnibus quidem legibus solam spectari oportet scribentis voluntatem. Verba enim ambigua, & in plures intellectus ducta sunt: scribendarum legum causa, voluntas fuit. Ergo id unum spectari convenit, propter quod scriptæ sunt. Hujus autem legis manifestum est hanc voluntatem esse, uti puniatur, quotiens commissum est, propter quod constituta poena est: supervacuum supplementum est. Ut contra verba interpretatio sequatur, aliquid frequenter accidere potest, cum in aliis legibus, tum in hac præcipue. Fingamus enim ab hoste provocatum aliquem ægrum; fingamus provocatum eum, qui proximo prælio debilitatus sit: fingamus esse provocatum, quem imperator in aliam partem expeditionis ire jusserit: profecto adversus neminem horum actio ex hac lege dabitur. Atqui mihi satis est efficere, ut alicui non pugnare liceat. Nam si ulli potest dari hæc venia, non dubitabitur, quin patri detur. Sed antequam naturam defendo, imperatoris volo defendere dignitatem. Contendo hanc legem ad milites pertinere: primum quod inter hos fere provocatio sit: deinde quoniam legum-

legumlator ¹ nunquam profecto tam inimicus fuit, ut periclitari ex eventu pugnae ² unius civitatem, summamque reipublicae vellet. Fingamus enim ab aliquo ultimo militum provocari ducem: idem discrimen, idem periculum, par eventus est. Adjice quod ³ inter praecipuas virtutes est, imperatorem non pugnare aliquando. Sic extrahitur hostis: sic impetus subitos partis adversae frangit mora: sic interclusos com meatibus in deditioem venire fame cogimus. Itaque hercule militem legimus robustum, legimus juvenem: imperatorem facimus senem. In illis enim vis corporum & manus sola spectatur, in his consilium & ratio: quae bona praecedentis aetatis in locum virium subeunt. Ipsum praeterea nomen imperatoris satis significat ⁴ non exigere manum ipsius. Imperare enim debet & praecipere. In summam, ab eo, qui provocatus ab hoste non pugnaverit, supplicium optime exigit imperator. Ergo si hoc solum apud vos dicerem, Non pugnabit dux, non pugnabit senex, non fecit summae rei discrimen: satis tamen ista defensio videretur. Adhuc tamen propius accedere ad interpretationem legis volo: &, quatenus pars diversa scripto innititur, etiam ipsa verba scrutari. Quid tandem dicit lex? QUI AB HOSTE PROVOCATUS NON PUGNAVERIT. Ab hoste igitur, non a transfuga. Nec unquam habuerim hunc ego perditissimo parricidae honorem, ut illum in numero ponam eorum hominum, qui pro republica sua, qui pro patria pugnant. Et si verba ipsa intuemur, hoc satis est: si vero introspicere voluntatem voluerimus, ecquid manifestum est non hoc sensisse legumlatorem, ut ulla necessitate posset cogi pater cum filio dimicare? an vero is qui scripsit, HOSTEM, non videtur scripsit-

¹ Nunquam profecto tam inimicus.] Lege ut supra, tam iniquus. Idem.

² Unius civitatem summamque reipublicae.] Suspicio scripsisse auctorem, summamque rempublicam vellet. Vide ad Livium. Idem.

³ Inter praecipuas virtutes est, imperatorem non pugnare.] Lege: virtutes est imperatorum, non pugnare aliquando. Sive majoris imperatoris aut imperatorias. Idem.

⁴ Non exigere manum ipsius.] Scribo, exigi. Idem.

scripsisse, ALIENUM? summa hac nominis utique mi-
nora complexus est. Non ergo cogi potest quisquam lege,
ut cum filio suo pugnet. Hic tamen non defenditur affe-
ctus & pietatis simulatione. Ego vero (inquit) pugnavi:
sed quo modo pugnare oportebat vestrum imperatorem.
Unius sanguinem exigitis? exercitum cecidi: par gladi-
atorum simile postulatis? totius civitatis victoriam retuli.
Numerate captivos, numerate spolia: & ¹ æstimate, an
damnari debuerim, quia plus præstiti. Quæ sunt enim,
quæ lex postulet? illa quidem pugnam tantummodo
meam. Veruntamen videretur tacitum hoc scribentis fuisse
votum, ut & hostis occideretur. Utrumque præstiti: &
ego pugnavi, & ille occisus est. Sed non continget ea per-
ditissimo juveni, quam quærebat, invidia, ut videretur
scelere occisus, ut nobilem facinori suo exitum daret: ja-
ceat in turba. Vos oro qui illud pugnae genus exigebatis,
utrum tandem eventum concepistis animo? Vicisset juve-
nis senem, vicisset sceleratus pium: quantum respublica
detrimenti, quantum lacrymarum, quantum luctus amisso
duce haberet, & fractis militum animis & inclinata in po-
sterum spe? An vero imperator noster occidisset illum te-
merarium juvenem & sceleratum? eratne tanti ut publice
commissum parricidium videretur? non iram numinum,
non sterilitatem, morbosque, & alia quibus magna scelera
expiari solent, timeremus? ab hoc omine commisisset
aciem?

CCCXVIII.

Legatum inter libertos.

Testamento quidam instituit hæredem amicum, & petit ab eo, ut
ex duobus libertis, quos relinquebat, utri vellet, decem millia da-
ret. Unus ex libertis petit, iudicio contendit. victus est. petit alter.

DECLAMATIO.

QUæ mihi jura, quam vetera cum patrono eorum
fuerint, non est dicendum. Hæres sum. Quantope-
re his

¹ æstimate, an damnari debuerim.] Lege, debeam. Idem.